

D. Thomas 1, 2, q. 20, art. 5 ad 4, quem sequuntur Suarez, de Cens., disp. 40 sect. 7, n. 17, et alii. Patet, quia sumus pro penis restringendis, et sic ad effectum consummatum. Ita DD.

« Quæri amplius solet an ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis. Prima sententia universe negat, dicens sufficere solam cognitionem peccati commissi... Secunda vero sententia, communissima et probabilior, affirmat... et probatur ex cap. *Proposuiti*, dist. 82, ubi Innocentius I decrevit quosdam clericos incontinentes non esse deponendos juxta constitut. Siricii Papæ, eo quod eam ignorabant. » Sic D. de Ligorio loc. cit., n. 350. At prima sententia, quam tenet Suarez loc. cit., sect. 5, n. 10, juris publici principiis magis innixa videtur.

Ex his, et altera affinis sane quæstionis resolutio repetenda est, an ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, id est irregularitatis: Negativam Suarez tenet, loc. cit., n. 9, cui nos subscribimus.

Monendum postremo quod « quamvis irregularis functiones ordinis obire prohibeatur, si tamen eas exerceat, peccat quidem graviter; sed quia hoc peccatum nulla pœna aut nova irregularitate per jus canonicum plectitur, ideo qui sic temere ordinis functiones obire audeat nulli aliæ pœnæ aut irregularitati existimandus est obnoxius. »

His ita præstitutis, de irregularitatibus in specie sequentia addenda putamus, ad auctoris mentem facilius assequendam, vel ad aliquarum ejus opinionum animadversionem. Incipiamus ab homicidio.

Ac primum quoad homicidium voluntarium spectat, irregularitatem contrahere qui propria actione hominem necant, ex c. *Si quis ex. de homic. et ex c. 7, sess. 14 conc. Trident. de Reformat*, exploratissima res est. Hic dubitatur an si homicida pœniteat facti ante mortem ejus quem aggressus fuit, incurrat irregularitatem. Quamvis Salmat. c. 9, n. 4, negativam sententiam tueantur, verius tamen Suarez, disp. 44, sect. 3, n. 7, et alii affirmativam tenent. Siquidem qui posuit causam physicam mortis, nempe vulnus aut venenum, non excusatur, si pœniteat, quia causa necessario pergit influere in mortem: D. de Ligorio loc. cit., n. 368.

Dubitatur amplius an incurrat irregularitatem si quis primus lethaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint.

Affirmative sentit Fagnanus, alios insuper in hac re casus recensendo, ad cap. *Significasti* ex de Homic., n. 1, in hæc verba: « Irregularis censetur qui alium lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus: idem si non apparet an lethaliter, si etiam percussus ab aliis obiit, et non apparet ex ejus vulnere decesserit: idem est si non percusserit lethaliter, si animum occidendi habuit, et ex aliorum vulneribus percussus expiravit: » Hanc ille doctrinam ut firmissi-

mam deducit ex citat. capite *Significasti*, cujus textum ad totius rei explanationem hic referre placet. « Significasti nobis quod, cum quidam maleficus ingressus ecclesiam, Eucharistiam cum altaris ornamentis... extra ecclesiam asportasset, L. presbyter Ecclesiæ canonicus regul. præf. iniquitatis filium fossorio arrepto percussit, sed si ad mortem fuit ictus hujusmodi, ta, et ipse penitus ignoratis: quem parochiani eccl. videntes ornamenta eccl. asportantem, arreptis gladiis, et fustibus in eodem loco protinus occiderunt: et infra. Nos in præmisso casu credimus distinguendum utrum constare possit quod præf. sacerdos non inflixit percussorem lethalem, de qua, si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minime interiisset; et si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsitan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta, tam modica et tam levis, in ea parte corporis in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis), cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur vel denuntiatur ab alio, sed per seipsum consilium appetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam injunctam in sacerdotali poterit officio ministrare... Quod si discerni non possit ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, et si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. »

Audiamus in casu proposito D. de Ligorio, qui sic habet: « Affirmativam tenent Fagnanus, Covarruvias... Negant vero Layman... Bonacina... Ego vero censeo... revera in prædicto cap. *Significasti* nihil definitum esse de hoc casu; ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, et sic decesserit, respondit Pontifex quod, si constiterit primum non percussisse lethaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset an ex illius percussione vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum, nempe quod primus vulnus lethale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit, puto a Pontifice fuisse præteritum, saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum, si constat primum vulnus non causasse mortem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisset confractum, aut cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem. » D. de Ligorio, loc. cit., n. 369.

Incurrunt quoque irregularitatem omnes homicidium mandantes, vel consulentes, ut habetur ex c. *Si quis viduam*, dist. 50, et cap. *Significasti*, supra allato. « Hoc tamen non currit, si mandans, vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum si constet homicidium ex alia causa accidisse. » D. de

Ligorio, loc. cit., n. 370. — « Quæro: P. jussit famulo ut interficeret Joannem, famulus putans a se interfici Joannem, interfecit alium: an dict. P. sit irregularis ex homicidio voluntario, vel casuali... Videtur respondendum, cum in personam alterius homicidium secutum fuerit, esse quidem irregularem, sed tamen hanc irregularitatem provenire potius ex homicidio casuali. » Fagnanus ad cap. *ad Audientiam*, ex de homic., n. 52 et seqq.

Amplius « S. congr. Concil. alias consulta an is qui mandavit aliquem baculo verberari, eo expresso ne occideretur, si mandarius armis percusserit et occiderit, intelligatur incidisse in decr. conc. Trid. sess. 14, c. 7, adeo ut omni ordinatione, et beneficio, et officio ecclesiastico absque spe dispensationis perpetuo carere debeat: respondit non incidisse. Quinimo cum postea dubitatum fuerit an is qui gravibus ab aliquo affectus injuriis famulo mandavit ut illi in facie vulnus leve cæsim infligeret, si mandarius hujusmodi fines excedens pluribus mortiferis vulneribus illi mortem intulerit, censeatur incidisse in irregularitatem quæ oritur ex homicidio voluntario; sacr. congregatio, licet discrepantibus sententiis, tamen majori parte tenuit non incidisse in ejusmodi irregularitatem quæ oritur ex homicidio voluntario, et ita in his duobus casibus solus mandarius est irregularis ex homic. voluntario; non autem mandans. » Fagnanus loc. cit. n. 55 et seq. — V. supra, *Irregularitas*, art. 1, n. 44.

Sed dubitatur an mandans vel consulens censendus sit irregularis in dubio an mandatum, vel consilium fuerit necne efficax causa homicidii? Sententia communior affirmat, tum quia stat mandatum sive consilium usque dum probetur oppositum; tum quia ratio textus in cap. *ad Audientiam* ex de homic. nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, comprehendit tam homicidam quam mandantem aut consulentem. D. de Ligorio loc. cit., n. 371, qui tamen subjungit quod sententia opposita non videtur dicenda improbabilis.

An autem incurrat irregularitatem movens homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exsequatur? *Communiter*, et recte affirmatur: « quia revera iste jam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati. » D. de Ligorio, ibidem, n. 372.

An autem incurrant irregularitatem homicidium ratihabentes? Verius, et communius negant DD. Ratio quia nullibi habetur in jure ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitus autem æquiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi in jure sit expressum, prout est expressum de ratihabentibus clericis percussorem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam. D. de Ligorio, ibid. n. 375.

« Dubitatur, an incurrat irregularitatem qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Si is tantum ex charitate tenetur impedire, certum est apud omnes non

incurrere, esto ex odio non impedit; ita communiter.... Dubium sit, an incurrat qui tenetur impedire ex justitia ratione pacti, vel officii: nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus, qui teneatur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus, aut maritus, qui tenetur uxori alimenta præstare. Prima sententia negat incurrere... Ratio quia aliter judicandus est qui positive influit in homicidium quam qui homicidium non impedit. Secunda vero sententia affirmat.... Ratio quia omittens defendere, cum possit, quem ex justitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influat in homicidium. Hæc sententia est quidem communior, et probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur prima; cum enim irregularitas debeat esse in jure expressa, recte dicit Roncaglia, ex S. canonibus, non satis constare hujusmodi non impediens incurrere irregularitatem. Tournely, tom. II, pag. 99; Escob... excusant ab irregularitate, qui omittunt impedire non jam studiose ut homo occidatur, sed tantum ex timore, vel negligentia; idque recte inferunt ex c. *Quæsitum de pœnit. et remiss.* ubi parentes ex quorum culpa filii in cunis perierint censentur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint. » D. De Ligorio, ibid. n. 377.

« Et generatim in materia homicidii voluntarii incurrant irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, ut securius fiat; omnes qui ad homicidium sese excitant, quamvis unus solus occidat; omnes ministrantes arma aut pecunias ad homicidium patrandum; omnes qui injuste accusant, aut testificantur, aut judicant, ut homo occidatur; omnes qui associantur occisorem, animum augendo. » Ex D. de Ligorio, ib., n. 374.

Hoc insuper ex Fagnano addere fas sit. « Pone quod clericus animo deliberato iter arripuit ad interficiendum hominem, sed non potuit, quia eum invenit mortuum; nihilominus iræ suæ satisfacere volens, eidem mortuo caput amputavit. Quæritur an sit irregularis. Quidam dicunt hunc clericum esse irregularem propter intentionem cum opere subsecuto.... Contrarium determinat Archid., quia hic non erat homo, sed mortuus... et lex factum requirit, id est ut homo jam animatus interficiatur. Item irregularitas non contrahitur nisi in casibus a jure expressis... nec in isto casu invenitur imposita. » Ad cap. *A nobis*, ex de sent. excomm., n. 22 et seq.

Quantum vero ad homicidium commissum ex necessitate propriæ defensionis cum moderamine inculpatae tutelæ, nullam inde irregularitatem haberi ex Clement. *Si furiosus*, de homicidio, exploratum cuique est. Quod idem videtur sane affirmandum de occisione nocturni latronis cum moderamine inculpatae tutelæ: arg. cap. 3, ex de Homic., ubi Augustinus illud Exodi, uti apud eundem legitur, commentatus: *Si perfodiens inventus*

fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum, sic habet: « Intelligitur ergo non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur. » ex Carol. Gagliardo. Ins. Jur. Can. lib. II, tit. X. § 102, de Imp. et irreg.

Amplius homicidium necessarium inevitabiliter, et inculpabiliter non inducit irregularitatem, si fiat ad defensionem eorum quorum vita eadem cum nostra aestimatur, ut parentum, filiorum, fratrum, uxoris. Sic Monacellus form. leg. præf. part. III, § 15, de irreg. n. 172. Idemque dicendum de illo qui ob defensionem sui proximi, ejus aggressorem, servato moderamine, occiderit, cum ad talem defensionem quandoque ex charitate, quandoque ex justitia obligetur. Engel ad tit. 12, ex de Homic. § 3, n. 55. Siquidem, ut ait Barbosa allegat. 51, n. 8: « In foro conscientiae quilibet regulariter potest ex jure positivo, et naturali cum moderamine inculpatae tutelae defendere vitam... proximi, etiam usque ad occisionem injusti aggressoris, quando aliter illa defensio expediri non poterit. » Excusatur etiam ab irregularitate qui occidit injustum invasorem alterius innocentis. Ita Suarez, de Cens. disp. 46, sect. 3, num. 2; D. de Ligorio de Irreg. num. 388.

An vero ex homicidio ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiae, vel honorum temporalium (intellige magni momenti, quæ non possint aliter aut defendi, aut recuperari) cum moderamine inculpatae tutelae contrahatur irregularitas? Prima sententia affirmat... Secunda vero sententia, communior, et probabilior, negat, et hanc tenet Suarez, loc. cit., sec. 2, n. 4, qui communem vocat. D. de Ligorio loc. cit. n. 389.—Reiffenstuel ad tit. 12, ex de Homic. huic secundæ sententiæ favet. « Probabilis quoque, en ejus verba, et in praxi tuta videtur sententia dicens, quodcumque quis licite occidit proximum pro defensione bonorum temporalium, ab irregularitate immunis est... Nam etiam licitum est ob defensionem bonorum fortunæ occidere injustum invasorem, si bona sunt magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possunt. » Ad tit. ex de Homic. § 4, n. 138 et 138.

Additque is idem cl. interpres, « Quicumque in casu aliquo pro necessaria defensione famæ et honoris, licite occidit invasorem, in eodem immunis erit ab irregularitate... (attamen) sicut ordinarie loquendo illicitum, ita ordinarie loquendo irregularitati subiectum est homicidium pro prætensa defensione famæ et honoris commissum. » Loc. cit. n. 174.

Engel casum temperando scribit, in hæc verba: « Verum non æque expeditum est, ad irregularitatem incurrat qui ad defensionem bonorum raptorem occidit... Videri poterunt pro negativa sententia Covarr... et Castro... quorum sententia non destituitur omni probabilitate, eo saltem casu, quo defensio fuit mixta rei, et personæ, et agebatur de magna quantitate bonorum, ad sustentationem sui, et suorum necessaria.

Cum enim bona secundus sanguis, et vita hominis dicantur per gloss., ideo sicut in conservatione vitæ, ita etiam bonorum videtur d. Clem. utpote in re favorabili, interpretationem recipere posse. » Ad tit. 12, ex de homic. § 3, n. 56.

Rationum momenta pro hac sententia ex theoria generali de homicidio desumi possunt, eaque nos sub v. *Moderamen inculpatae tutelae* copiose, afferemus.

Fagnanus contra absolute tenet homicidium pro honore et bonis temporalibus tuendis secum habere irregularitatem. « Similiter, sic ille, ut ex littera textus in Clement. deducit glossa; non vitat irregularitatem committens homicidium pro necessaria defensione proprii honoris. Cujus opinio in hoc fere ab omnibus recipitur. Si igitur in prædictis casibus non excusantur ab irregularitate qui occidunt vel mutilant, longe minus excusari debent qui hoc faciunt pro defensione rerum temporalium, quantumcumque necessaria et inevitabili. » Ad cap. *Suscipimus*, ex de homic., n. 19.

Cæterum in hac re lectoris sit judicium. Illud fortasse asseri potest, doctrinam Fagnani esse saltem litteræ textus Clement. *Si furiosus*, magis consentaneam.

Quoad vero homicidium causale spectat, vulgo distinguuntur dantes operam rei licitæ ab rei illicitæ operam navantibus. Adeo ut in primo casu, dummodo debita diligentia servetur, ex morte secuta, irregularitas minime contrahatur, ut tenet communis DD. In secundo vero casu, utrum dans operam rei illicitæ, etiam cum debita cautela et advertentia, morte vel mutilatione obveniente, irregularis evadat: distingue cum D. de Ligorio « si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandam: puta si quis cæderet arborem in solo alieno, et mere fortuito hominem occideret... Ratio quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit in se periculosa... ita communissime... Nec obstat... quod tantum in jure excipiuntur qui dant operam rei licitæ... Ergo qui dat operam rei illicitæ ex qua mors sequitur, jam fit irregularis. Nam respondetur quod canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito... Unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitæ ipse navet. » loc. cit. n. 386. — Sic quoque sentit Engel « Homicidium casuale, sunt ejus verba, danti operam rei illicitæ tunc ad irregularitatem imputandum est, quando actus ille illicitus ex sua natura est ordinatus, vel periculosus ad læsionem alterius, atque ex eo, si non semper, saltem frequenter, solet homicidium, vel mutilatio consequi... E contra si actus ex alio fine fuerit illicitus, non inducitur irregularitas, si per accidens et casualiter contingat homicidium (nisi

alio modo agens in culpa saltem levi fuerit). » Loc. cit., n. 50.

An vero fiat irregularis adulter qui occidit maritum aggressorem, ob inculpatae suæ vitæ defensionem? Si adulter non posset fugere, tunc adsunt tres sententiæ. Prima absolute affirmat irregularitatem incurrere, ex eo quod dans operam rei illicitæ, fit irregularis si mors inde sequatur. Secunda sententia opposita absolute negat incurrere, quia homicidium non provenit tunc adulterio nisi per accidens; per se provenit tantum ex injusta invasione mariti, cujus vim licite potest adulter vi repellere ad suam tendendam vitam. Tertia sententiâ, quam teneat Suarez disp. 46, sect. 1, n. 22; Layman lib. I, de Just., tract. 3, p. 3, c. 10, distinguit, et dicit quod si adulter prævidendo invasionem mariti, tenere accedat et illum occidat, tunc fit irregularis: secus, si accedat clam, et cum debita cautela, ne a marito inveniat. « Et huic sententiæ, ait D. de Ligorio, me adjicio, si periculum invasionis prævideatur proximum et facillimum; quia eo casu adulterium est proxime periculosum homicidii; secus si periculum sit remotum et adulter caute accedat. » Lib. III, cap. 1, dub. 4, n. 398.

Quid si vir cognito adultero occidat uxorem, erit ne adulter irregularis? Negant communiter; alii distinguunt, ut in præcedenti quæstione, « Eodemque modo, scribit D. de Ligorio, ipsis consentio, si uxoris occisio proxima, et facillima prævideatur: secus, si remota et difficilis. » Loc. et n. cit.

Fagnanus ad cap. *De Cætero*, ex de Homic., duos sequentes casus a S. C. Concilii sic resolutos refert. — « Petrus presbyter Pampilonensis, cum audivisset Martinum laicum cum quadam muliere soluta ipsius oratoris ex fratre nepote solere carnaliter commisceri, et quadam nocte domum ejus ingressum esse, et cum illa commorari, armatus ipse, aliisque consanguineis comitatus ad dictam domum dictæ neptis accessit, ea intentione, sicuti assererat, ut Martinum compelleret contrahere cum ea matrimonium, non autem ut eum occideret. Verum simul ut Martinus audivit fores pulsari, se in aream dictæ domus e fenestra projecit, ac statim exanimatus est. Quæsit Petrus an propterea contraxisset irregularitatem. Die 29 novembris 1602, S. congregat. Concilii, cui undecim cardinales interfuerunt, censuit, Petrum prædictum, secundum ea quæ proponebantur, non incidisse in irregularitatem. — Et postea cum quidam presbyter Oriolen. diocesis noctu ad mulierem conjugatam accessisset, ab ipsa de viri absentia edoctus; cumque vir ipse, casu superveniens, uxorem necasset, dubitavit idem presbyter num incidisset propterea in irregularitatem. Die 31 Julii 1610 S. congregatio respondit, uti prius censuerat, prævia diligentibus discussione, adulterum ob mortem adulteræ a marito propter adulterium inflatam, non esse irregularem. » n. 15.

Quæritur, si quis tantum vulneratus, exinde mortuus fuerit, non quidem ex vul-

nere, seu vel ex imperitia medicorum, vel ex morbo, aut alio casu superveniente, tunc saltem vulnerans censeatur irregularis? Si mors secuta sit occasione vulneris, quamvis non immediate ex vulnere, ut quia febris, aut inflammatio supervenit, quam imperiti medici curare non potuerunt, vulnerans erit irregularis: danti enim operam rei illicitæ imputantur quæ sequuntur. Si vero mors contigerit prorsus a causa extrinseca, veluti si vulnus fuit levissimum, et nullo modo periculosum, medicus vero, vel æger ipse nocivum medicamentum adhibuerit, his et similibus casibus vulnerans nullam contrahet irregularitatem. Engel ad lib. v, tit. 12, ex de Homic., § 3, n. 54. — Vide supra dicta de irregularitate quæ habetur ex dubio homicidii.

Quoad irregularitatem quæ ex mutilatione contrahitur, præstat hic inquirere quid mutilationis membrorum significatu veniat. Communissime et probabiliter DD. docent nomine *membri* intelligi tantum partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, etc. Hinc probabiliter dicunt non incurrere irregularitatem qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos, et tanto minus, qui capillos aut barbam abscinderet. Item nec qui aufert alteri digitum quisque sit. Nec obstat textus in 6 c. *Qui partem*; nam respondetur illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quæ sibi causa fuit*, ut ibi dicitur, *ferrum injicere*. — An vero sit irregularis qui abscidit testiculos: probabiliter affirmandum. Secus vero si unus tantum testiculus auferatur, quippe cum unus ad generationem satis sit. Qui vero mulieri unam mammillam abscinderet fieret irregularis, quia unaquæque mammilla proprium officium habet. Sic D. de Ligorio de Cens. et Irreg., num. 379, 380.

An autem per violentam abscissionem digiti pollicis incurrat irregularitas, dubium est. Nam casu proposito in S. congreg. die 31 januarii 1688, responsum fuit: *dispensationem requiri ad cautelam*: Monacell. Form. leg. pract., suppl. ad tom. II, n. 72, pag. 50. — Idem ad suppl., tom. II, n. 428 et seqq., pag. 106, hæc habet: « Qui sponte se castrare facit, et culpa sua seipsum mutilat, evadit irregularis. In qua irregularitate inducta a concil. Nicæno primo solus Papa dispensat: S. cong. Episc. 15 jan. 1694. Et quamvis abscissio hujusmodi sit occulta, non est dispensabilis ab episcopo; quia irregularitas inde proveniens non fundatur in notorietate, sed in excessu et in sævitia sui ipsius, et in periculo homicidii, quod ex secatione sequi poterat... Ideoque tales eunuchi pro dispensatione ad sac. congreg. Concilii recurrunt. »

Non tamen sunt irregulares qui non sua sponte, sed casu, aut ab incunabulis, aut

per vim, seu insidias hominum, aut propter aegritudinem, secti sunt... nisi id sua culpa acciderit, quia dabat operam rei illicitae, ut in adultero, cui a marito mulieris cum qua fuit deprehensus... sunt abscissa virilia, quem esse irregularis tenet Hostien... (Tamen) ille adulter non videtur manere irregularis, nisi forte temere accessit ad uxorem alterius, et sine sufficienti cautela moraliter exponens se tali periculo. Garcias, part. vii, cap. 13; de Benef., n. 7, 8, 12.

Eruens oculum, abscindens manum, vel ejus partem notabilem detruncans, fit irregularis... Non incurrunt irregularitatem qui vulnere vel percussione debilitant membrum, etiamsi in curatione membrum abscindatur: hi enim vere non mutilant, quia membrum non amputant, nam membrum debilitatum non desinit esse membrum. Ex quo infertur quod si quis reddat aliquem caecum non eruendo oculum vel oculos, non est irregularis. Monacellus form. cit. part. iii, § 15, n. 166, pag. 40.

Quoties porro de irregularitate ex homicidiis, vel mutil. in bello sermo est, ubi de bello justo aggressivo agitur «neminem alium, ait Gibalinus, quomocumque concurrat ad bellum hujusmodi, fieri irregularem propter homicidia quae committuntur ab aliis, quod fatentur omnes, et colligitur ex cap. *Petitio*, etc., nihilque hoc loco distinguendum esse inter laicos et clericos: omnes enim si propria manu mutilent aut occidant, sunt irregulares in hoc bello; nulli autem irregularitati obnoxii sunt, si a mutilationibus et caedibus ipsi absterneant. Neque quidquam facit quod clerici tunc in bello assistentes, sint in sacris, quia capitulum *Petitio* loquitur de sacerdote, quem non damnat irregularitatis, nisi illum conscientia alicujus a se occisi mordeat, neque in his videtur ullus ambigendi locus.» cap. 4, consect. 7, diffic. 4, apud Bened. XIV Inst. Eccl. 101, n. 11.

«Accedit etiam, sic docet generatim de bellis justis Bened. XIV, irregularem haud fore clericum aut laicum qui manu sua aliquem peremerit aut mutilaverit, si has caedes patrarit ut vitam suam in discrimine positam vindicaret. Sic decernitur in Clement. *Si furiosus*, de Homic. Equidem plures in dubium revocant utrum haec Pontificis constitutio non solum privatas rixas, sed etiam pugnas et conflicta complectatur: tamen unanimi consensu major pars theologorum existimat, tum in privatis dissidiis, tum in praeliis locum obtinere rationem tuendae vitae, et pro qua hostis necandus est. Quapropter, si Pontifex immunem irregularitate declarat eum qui cum moderamine inculpatae tutelae privatim rixando adversarium suum interficit, immunis quoque irregularitate censendus est qui in acie pugnando, servatoque eodem moderamine, caedem committit. Hinc memoriae proditur patrem Anselmum Petramellaram Capuccinum, qui manu sua septem Turcas obruncavit, cum victoria superbi atque insolentes navim ejus

invaserunt, ad pedes S. Pii V supplicem ac provolutum, ut irregularitatis vinculo solveretur, omni prorsus irregularitate immunem a Pontifice declaratum fuisse, eo quod parumper deposito crucis signo, quod manibus gerebat, ensem distrinxerat ut vitam defenderet, pro qua tuenda septem ex hostibus neci tradiderat. Id Boverius in Annal. Capuce. ad an. 1571, n. 67, idemque Raynaldus commemorant.» loc. citat. n. 12.

Nec tantum pro defensione propriae vitae in bello justo nulla incurritur irregularitas, sed etiam pro necessaria tuitione patriae et Ecclesiae, si de bello defensivo agatur. Audiamus eundem Benedictum XIV in haec verba scribentem, nempe:

«Sin autem bellum justissimum appareat, tunc bellum defensionis a bello offensivis oportet discernere... Cum bellum justum ad defendendam patriam Ecclesiamque suscipitur, laicus qui pugnando hostes interfecit nulla irregularitate devincitur. Idem prorsus de clerico statuendum est, si jussus bellum ineat, nec pro Ecclesia vel patria tuenda laici sufficient. Quod si bellum justum ad offendendum suscipiatur, accurate perpendi debet, utrum laicus, aut clericus hostem manu sua peremerit vel mutilaverit. Nam si ipsi nihil horum patravissent, omni prorsus irregularitate immunes habentur, licet alii milites in eadem acie hostes morte affecerint, vel parte aliqua corporis imminuerint.» loc. cit. n. 9.

Atque hinc vides discrimen quod inter bellum justum offensivum et bellum justum defensivum intercedit; adeo ut in hoc postremo casu pro necessario tuenda patria, etc., nulla habeatur irregularitas; in illo vero fiant solum irregulares revera occidentes vel mutilantes.

Præterea, irregularitati non esse obnoxium sacerdotem qui bellum justum offensivis iniverit, incertusque est, utrum aliquem in conflictu necaverit aut mutilaverit, quamvis alii multos interfecerint, aut mutilos redderint. Sic Bened. XIV, loc. cit., n. 10. Atque haec hactenus de irregularitate quae ex homicidio vel mutilatione multifaria contrahi potest.

Quantum vero ad irregularitatem quae ex irreverentia erga ordines incurritur, in comperto est clericos excom., suspensos, interdictos, depositos, ubi semel in sacris ministrare attentaverint, fieri irregulares. Secus si censuræ nulliter latae violatae sint. S. C. Conc. in Herbip., 19 Jul. 1704.

Quod si minori fuerint excommunicatione innodati, irregularitatem non contrahere Gregorius IX declaravit, hoc sane pacto: «Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit.» Cap. 10, ex. de Cleric. Excom. vel depos. ministr. Excipit quoque Monacellus cum Bonacina clericos censuris innodatos, exercentes solemniter, vel ex officio actus majoris ordinis, si excusentur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiae. Formol. legal. pract., part. iii, § 13, n. 171. — Ignorantia porro

ex bona fide metiendae est; secus dicendum de ignorantia crassa et supina, ut manifeste habetur ex cap. 9, ex. de Cler. Excom. vel dep. ministr., tenoris sequentis: «Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum, si forte ignorantia crassa, et supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apostol. indulgemus.»

An vero clerici minorem ordinum suas horum functiones in censuræ statu exercentes fiant irregulares, disputatur.

Ante omnia præmittimus pro hac questione textum in cap. 2 ex. tit. cit., ubi hæc habentur: «Si quis presbyter aut alius clericus fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus suspensus, et ipse pro contemptum et superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumperit, et postea ab episcopo suo correptus, et incepta præsumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur.» — Præstat nunc audire Fagnanum in commentario ad hunc textum. «Ad partem negativam arguitur, sic ille, quia canones qui in contrarium allegantur... videntur restringendi ad constitutos in sacris... et cum nullum jus expresse dicat clericum inferioris gradus citra sacros excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum in ordine suo ministrantem, in irregularitatem incidere, nec nos hanc penam inducere debemus. Quia ubi pena statuta non est, non est nostrum ipsam imponere... Quia acolyti et inferiores quasi laici censentur... nec in degradatione ipsorum adhibetur illa solemnitas quæ adhibetur in degradatione constitutorum in sacris... deinde minorum ordinum ministeria ex generali consuetudine promiscue exercentur tam a clericis quam a laicis, et ob hoc potissimum fundamentum huic opinioni adherent complures theologi.» — Atque hæc sunt rationum momenta pro negativa opinione firmanda.

«Verum, prosequitur Fagnanus, quidquid subtilizetur, certum est etiam clericos minorum ordinum censura irretitos, ministrando in aliquo ex dictis ordinibus, irregularitatem incurere. Quod probatur primo ex hoc textu (*Si quis presbyter*, supra allato) qui non tantum loquitur de presbytero sed etiam de aliis clericis, qui aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumperint... Sicut hæc rubrica, quæ non inscribitur *de Presbytero, vel diacono, etc., sed de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante: Clericorum* autem appellatione absque dubio veniunt clerici minorum ordinum... præsertim cum ponuntur ad differentiam Presbyterorum. Unde jus generaliter et indistincte loquens, generaliter, et indistincte intelligitur. Deinde hoc videtur expressum in Const. Sixti V, *Sanctum, et salutare*, contra Clericos male et Simoniacæ promotos, quæ clericos, etiam primæ tonsuræ male promotos perpetuo suspensos declarat ab executione, ministerio, et exercitio ordinum susceptorum; ac si in eis mini-

strare præsumperint, illos sic irregulares effectos, omnibus officiis, et beneficiis privat.» Ad caput. *Si quis presbyter* n. 7 et seqq.

Benedictus XIV in const. *Inter præteritos*, § 4, n. 48 et seq. hanc Fagnani sententiam calculo suo probare videtur, insuperque stylo S. Pœnitentiariæ et congregationis Concilii comprobata admonet.

Cæterum Fagnanus sententiam suam limitat ad peculiare clericorum functiones ratione ordinis: «secus vero ubi exercent aliquid non deputatum certo ordine Ecclesiastico, ut cantare responsoria, dicere psalmos, et similia; non tamen principalis officio in ecclesia, sed tanquam quilibet alius laicus.» Ibid. n. 15.

Distinguendo nunc hoc loco functiones ordinis ab exercitio jurisdictionis, notasse liceat quod episcopus excommunicatus ordinans fit irregularis, quia ordinare est exercere actum ordinis episcopalis: sic Suarez de Cens. disp. 12, sect. 2, n. 21, etc.

Similiter episcopus excommunicatus benedicens populum non est irregularis, quia exercet non actum ordinis, sed jurisdictionis. Alterius, lib. ii, de Cens., disp. 1. c. 1.

Hoc pacto majores excommunicati (ante denuntiationem tolerati) suspensi, interdicti exercendo jurisdictionem spiritualem, excommunicando scilicet, absolvendo a censuris, conferendo beneficia, etc., licet peccent, non sunt irregulares, nam irregularitas est solum imposita contra illos exercentes actum ordinis. Sic Sayrus lib. vii, Thesauri, c. 9, n. 10; Avila part. vii, disp. 9, sect. 2, dub. 2.

Clericus excommunicatus exercens ut laicus actum sacri ordinis, sine ritu et veste ab ecclesia præfixa, non est irregularis: nam ille actus non est ordinis. Suarez loc. cit. sect. 1, n. 4.

Sacerdos excommunicatus recitans solemniter inter orationes, horas, orationem Dominicalem, non est irregularis, quia illa recitatio non est actus ordinis, sed dignitatis, ecclesiae ritu assignata digniori personæ. Avila de Cens., disp. 9, sect. 2, dub. 2.

Sacerdos excommunicatus prædicans non est irregularis, quia non exercet actum ordinis, sed potius doctoris; idque etiam si sit suspensus ab episcopo ab officio prædicandi, cum actum ordinis prædicando non exerceat. Henriquez lib. xiii, cap. 6, n. 5, lit. B.; Sayrus lib. iv, c. 16, n. 21; alique, contra Majolum.

Censura innodatus excommunicationis, interdicti, suspensionis cogens alium excommunicatum ad celebrandum coram se, vel non excommunicatus cogens ad celebrandum coram alio excommunicato, non est irregularis, quia non exercet actum ordinis cogendo, nec jure invenitur expressum, etiam si episcopus vel quis alius excommunicatus cogat ad celebrandum; quippe textus in c. *Illud*, de Cler. excomm. vel dep. ministr., probabiliter id non asserit. Ita Gibalinus de irreg., q. 2, consect. 12, contra Navar. Alter et alios.